

scandalis: item: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Idem fecit Deus antequam diluvium immitteret, annis centum et viginti, per Noen id comminando: idem ante excidium Jerosolymæ a Tito factum. Inventus est enim in civitate homo rusticanus nomine Jesus, qui per annos septem et menses quinque continuo clamabat: *Væ, væ Jerosolymis,* id fecit usque dum urbs obsidetur: ubi supra murum circumiens vociferabatur: *Væ, væ civitati ac templo ac populo,* Joseph. lib. VII. de bello, c. XII. Baron. anno 65. Rursum ante ultimum ejusdem urbis excidium quod factum ab Hadriano imper. cum sepulcrum Davidis et Salomonis sponte corruit, ut refert Dio in Hadriano. Similia prodigia ad revocandos a peccandi libidine mortales ostensa sunt antequam Lombardi Italiam vastarent, ignea scilicet acies in celo sanguine cornescantes, teste S. Gregor. lib. III. dial. cap. XXXVIII. et ante persecutio- nem Wandalicam Hunericu regis in Africa apud Victor. Uticens. lib. II. Wand. Quin et nostro saeculo talia contigerunt, quando nimurum come- ta diuturnum in imperio bellum nobis verissime portendit: alibi sanguinea pluvia idem demons- travit, etc. Et quid haec omnia nisi divinae misericordiae argumenta, qui antequam feriat, imo ne feriat, dat: *Metuentibus se significationem, ut fu- giant a facie arcus.* Foc igitur beneficij prestat noster Jesus mundo in hodierno evangelio, dum per universum orbem clamat etiammum ex ore concionatorum: *Væ, væ mundo: væ mundo a scan- dalis: væ homini illi, per quem scandalum venit.* Primum vae, ut ne scandalum capiamus; alterum ut ne demus. Vedit nimurum Dominus quantis in altero saeculo tormentis plectantur scandalis. Unde ad nos clamat monens ut ea caveamus.

IV. Cernimus patientem, dum discipulorum ambitionem et concertationem silens toleravit ac dissimulans, (siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset, inquit. S. Marcus, cap. IX.) quorum cogitationes videns Dominus interrogavit eos: *Quid in via tractabis?* Et hinc cœperunteum interrogare: *Quis major esset?* Non inter ipsos, (ne proderent suam contentio- nem, sed in regno celorum). Deinde, dum tot gra- via scandalis, quæ in abyssum mergi digna asserit, tolerat in mundo et patitur ut alter alteri laqueos tendat et offendiculum ponat. Nemo nos- trum ferre posset, si petulantem pueros cerneret in via foveas excitare, alibi laqueos ponere, alibi prægrandes lapides objicere, quia cæcis et aliis incautis ambulandum esset. At hujusmodi foveis, offendiculis et laqueis plenum esse mundum vi- dit S. Antonius. Profecto tanta est scandali gra-

vitas ut lapide moiari demergi debeat in abyssum (propterea scilicet quod id terra sustinere nequeat), quanta erit Dei patientia, quæ tot scandalis tolerat? Neque unus tantum scandalo vulneratur et perimitur, sed complures alli.

V. Cernimus veracem; quod enim dixit: *Necesse est ut veniant scandalis;* supposita scilicet, quam prævidit, hominum malitia et perversitate, id nostro etiam saeculo nimis verum comprehendimus in quoquaque statu. Quanta enim in reli- gione scandalis præbent in primis aliqui prælati, qui ex suis domiciliis aulas faciunt, et vivunt ve- luti principes aut comites, multo stipati familiatio, splendido victu et vestitu? Deinde, monachi vagabundi, qui cum ob dissolutionem in mona- steriis tolerari nequeunt, ut saeculo discurrent, nummos stipatim emungunt, rursumque abligu- riunt sibi et aliis onerosi? His enim dicitur id Malach. II. *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi.* Quanta in clero scandalis? Videre est clericos qui tametsi ad sacerdotium nunquam aspirant, tot nihilominus beneficiis et dignitatibus onusti sunt, quot conchylibus peregrini S. Jacobi. Aliorum vita dissoluta, impura, lurida, rusticana et prorsus saecularis est, plurimorum ingenti scandalis; vel inde graviori quod illorum præsu- les aliqui talia non emendent, manus facile nimis imponant, saecularia tantum tractent et current, ad clerum et profectum animarum parum attendant. Quibus id Ose. II. dicitur: *Audite hoc sacerdotes, quia vobis judicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi* (id est, episcopatu vel parochiæ vestrae) *et rete super montem Thabor.* Quanta in multis saeculi principibus et magistratibus, qui omnia sibi licere rati, nihil non æquum ducunt, quod efficere vel obtinere possunt quoquaque tandem titulo: *Qui alligant subditis onera gravia, ipsa ea digito suo nolunt movere?* Quanta in nobilium statu, qui intoleranda vestimenta novitate et splendore non opes tantum exhausti, sed et alias perver- tunt ac libidini somitem præbent? Quanta in ju- venibus alienæ castitati insidiantibus, qui oculos habent: *Plenos adulterii et incessabilis delicti?* ut dicitur II. Petr. III. Quanta in mulieribus, quæ meretricio cultu ad libidinem alios provocant, de quibus Isa. XIII. ait: *Pro eo quod elevata sunt füe et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant et pedibus suis composito gradu incedebant; decalvabit Do- minus verticem filiarum Sion, etc.*? Quanta in cau- ponibus, qui domos suas faciunt retia diaboli ad capiendas animas ludis, choreis, ebrietatis, jurgiis, impudicitias, fraudibus, mendaciis, perju- riis?

VI. Cernimus dominatorem Dominum Deum, pa- vendum, tremendum, siquidem, ut aperte docet, eos qui scandalis aliorum depravantur, missurus est in gehennam ignis æterni. Quis autem comprehen- dat quid sit gehenna? Quid gehennæ ignis? Ignis æternus? Gehenna fuit, teste S. Hieronymo, in Matth. X. et Jer. VII. vallis prope Jerusalem nemorosa, in qua Judæi ethnicorum morem secuti, olim filios suos idolo Moloch immolabant et crema- bant. Erat autem idolum humana forma, æneum, instar fornacis concavum. Adhibito autem intus igni inflammabatur et ignebatur: illius deinde in manibus puer immolandus collocabatur et mise- randum in modum incendebatur, sacrificium inter- rim tympana pulsantibus, ne parentes ejulatus filiorum audirent, iisque auditis ad lamenta et commiserationem moverentur, sed potius ab idolo absque dolore exceptos crederent. Unde locus ille *tophet* appellatus, quod tympanum significat. Hoc ergo immanissimum et credulissimum suppli- cium Christus tartarum appellat. Primo, quia in eo Deus filios suos rebelles et contumaces, abjectos in centrum terræ (qua ibidem ignita eos exci- pit et in se claudit, stringitque veluti statua Mo- loch) et dæmoni quasi immolatos saevissimo igne comburit. Deinde, sine commiseratione suppli- cium eorum spectat, nec tamen ejulatus et lamenta exaudit per omnem æternitatem. Hoc est quod apud Marcum Dominus ait, gehennæ istius poenas declarans: *Ubi, inquit, vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.* Vermis ille im- mortalis vel est proprie dictus vermis, ut multi volunt, vel remorsus conscientia qui, ut ait Inno- centius III. libr. III. de contemptu mundi: *Damna- tos tripliciter lacerabit, affliget memoria, sera tur- bat penitentia, torquebit angustia.* Hunc ergo vermem, auditores, hunc ignem metuamus et fugiamus totis viribus. Dicamus cum S. Bernar- do, l. V. de considerat. cap. XII. « Horreo ver- mem mordacem et mortem vivacem: horreo inci- dere in manus mortis viventis et vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit sed semper occidit. Quis det illis semel mori ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire aut evadere volunt? Denique, invocabunt mortem, ait, et non veniet. Intuere id clarius. Constat immortalem animam esse, nec aliquando absque sua memoria vivere, ne non animam aliquando esse contingat. Itaque durante anima durat et memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida fa- cinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida et neglecta. Quæ priora transierunt, et non transie- runt. Transierunt a manu, sed non a mente.

Quod factum est, factum non esse non potest. Proinde et si facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. Non transibit cum tem- pora transit. In æternum ergo necesse est cru- ciet, quod perperam te egisse in æternum memi- neris. » Sic Bernardus.

Cæterum quia hæc, quæ de gehenna loquuntur ss. litteræ et sancti patres, ægre audiuntur et di- fícile creduntur, voluit Deus aliis et aliis saeculis, certis quibusdam hominibus monstrare per visiones vel ostenta. Narrat Sanctus Gregorius, lib. IV. dialog. cuiusdam Stephano, Romano, ostensas inferorum poenas, specie cujusdam tenebri- cosii fluvii, qui fœtoris intolerabilis nebulam exhalabat, in quem collabebantur ex angusto pon- te, quotquot gravium scelerum rei transibant. Joannes Damascenus, in historia Barlaam et Jo- saphat, cap. XXX. refert Josaphatum per visum fuisse abductum ad spectandam tam electarum, quam reprobarum animarum habitacula. Et hec quidem ita describit: « Obscura prorsus ac tene- brosa caligo erat atque afflictione ac tumultu to- tus ille locus redundabat. Illic ignis fornax accen- debatur et carnisfum vermum genus serpebat ultricesque virtutes fornaci imminebant. Ac non nulli miserum in modum igni conflagrabant vox que hujusmodi audiebatur: Hic sceleratorum loc- us est, hic eorum cruciatus, qui fœdis flagitiis seipsos contaminaverunt. » Quid Angelicus ille Dritelmus Angliæ suæ narraverit de poenis infer- norum, alibi ex venerabili Beda narravimus. Re- centius est illud quod in Mexicana provincia ad instructionem recentium Christianorum conti- git, anno Domini 1596.

Erat in oppido quadam medicus *sena*, tanta morbi pressus gravitate, ut die quadam sensibus omnibus destitutus, pro mortuo haberetur, ja- cuit exanimi similiis horas multas: ad eum voca- tus quidam societatis Jesu sacerdos, qui loca illa peragrabat, ægrotos levandi causa, cum explorato venarum pulsu, nullum in eo vita residuum sen- sisset, ratus illum esse mortuum, quando nihil aliud supererat, funebrem illi ex forma Ecclesiæ psalmodiam, cærementiamque persolvit: ut cum maturum esset, terræ mandaretur. Interim alios ejusdem oppidi ægrotos adit, cum ecce tibi post duas horas, exanimis ille ægrotus, quasi somno experctus, sacerdotem, cui peccata confiteatur, accersi postulat; advenit pater admirationis ple- nus, ægroti excepit confessionem; qua peracta rogat sacerdos ægrotum ut quæ in eo mentis excessu viderit, audire ne gravaretur. Narravit se in latam quamdam viam, et spatiosam esse de- ductum, per quam innumerabiles homines iter facerent: hanc autem quo longius tenderet, eo

magis in arctum coarctari, donec in vastum quemdam hiatum, immensamque voraginem desinere, quo cum descendisset in eas angustias deve-  
nisse, unde se non posset expedire, omni tum progreendi, tum regredi adempta potes-  
tate. Conjectis inde oculis in objecta præcipitis, vastam quasi calcariam fornacem vidisse ingenti igne succensam, inde has voces accepisse: ad verbum refero: *Nunc scelerati ebrietatis, turpitudinis, et rapinarum pœnas luetis: nunc illatas paupe-ribus injurias ulciscemur.* Harum vocum terrore perculsum, sese a viro admiranda specie in manu apprehensum, ex angustiis illis, impeditisque ac confragosis salebris eruptum in summum montis jugum, indequa aspera, et lapidosa semita in latissimam, amoenissimamque planitatem, perpetua viriditate, gratissimorum flororum specie vernantem esse deductum; inde in locum clariore lumine lucentem devenisse, ibi portam magiore adhuc splendore fulgentem, intrare conatum a duce suo retentum esse, monitumque iterum rediret in vitam: animique sordes confessione perpurgaret, tunc ipsi intra eam portam ingressum expeditum fore. Admoneigitur, subjecit ille, beneficam illam popularem tuam horum suppli-  
ciorum quæ vidisti: mortem propere illi immi-

nere, æternaque supplicia fornacis, quam spec-  
tasti, nisi animum male actæ vitæ penitudo su-  
beat. Caciquum quoque (hoc titulo indigenæ dy-  
naste oppidorum domini afficiuntur: et hic christiana sacra jam suscepserat) in venerem adjecit, et crapulam effusam, qui, quo procacijs in omnium turpitudinum cœno volutetur, vestes induit muliebres; mone ut mature sibi consulat; et per confessionem peccatorum vim irati numinis a se avertat. Quæ cum narrasset, omnium sacramentorum præsidio munitus, triginta tan-  
tum vixit horis, ex annal. societat. anno 1596.  
sub coll. Mexic. ad ædes S. Gregor.

Postquam ergo Deus tot horrendis imaginibus depinxit nobis tartarum, videmus, opinor, quam verum sit quod ait Dominus, melius esse læso et contracto corpore intrare in vitam æternam, quam integro et sano mitti in gehennam. Quæ enim supplicia, quæ tormenta, quos cruciat, quos ignes, quas rotas, quas crucis non eligerent damnati, si æternas illas pœnas cum temporalibus commutare possent? Ergo ut gehennam illam ibi evitemus, hic eam cogitatione sedulo versemus: aspiciamus eam a longe ne videamus prope, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

NOMINE MICHAELIS TERRENTUR QUATUOR LUCIFERI.

- I. Qui arcana Dei investigare volunt. — II. Qui judicare audient proximos. — III. Superbi et libertini. — IV. Qui peccato mortali Deum offendunt.

### THEMA.

*Mi cha El? Quis ut Deus?* Apoc. XII.

De pavone scribit Ulysses Aldrovandus, lib. XIII. ornithologiæ, cap. I. eum voce sua terrere venenata animalia, adeo ut in iis locis in quibus auditur, morari diu nequeant. Pavo avium regina est pulchritudine omnes superans; quam etiam ob causam vulgo dicitur vestem habere angeli. Michaelis igitur archangeli typus quidam est, tum quia ipse angelorum princeps, pulchritudine omnes superat; tum quia voce sua *mi cha El*, hoc est, *Quis ut Deus?* terruit et a cœlo exturbavit Luciferum et socios, peccati veneno infectos angelos. Jure igitur ab ea voce nomen accepit, sicut Pavo a pavore, quo corripit serpentes. Porro ca-

codæmones, quos e cœlo expulit Michael, videntur non in orcum dumtaxat, sed et in terram corruisse. Reperiuntur enim inter homines etiam venenata quædam animalia, non absimilia Luciferi et cohorti ejus, quæ et ipsa clamant: *In cœlum consendum; super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo*, Isa. XIV. Hos igitur terrere, et si fieri potest, eliminare volumus voce Michaelis.

I. Reperiuntur qui arcana Dei quædam, soli Deo perspecta, investigare et nosse volunt. Videntur isti dicere: *In cœlum ascendam*: adeoque velle Deo pares esse; uti sunt primo, qui altiora se, quæ Deus revelare noluit, investigare conantur; veluti suam prædestinationem, et alia Dei secreta, providentias et consilia: item qui mysteria altissima suo intellectu metiri et penetrare sensibus: denique, quæ cujusque statum et captum transcendunt, scire volunt. Contra quos ait Ecclesiasticus, c. III. *Altiora te ne quæxieris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Similes hi sunt, secundum Philonem, lib. de confus. lin-

### IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

guarum, filiis Noe, qui dicebant: *Venite, faciamus nobis turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum*; quasi enim ad cœlum usque ædificare et as-  
cendere volunt, qui suo intellectu investigant, quæ Deus in cœlo occulta esse voluit. Verum si-  
cut tota terra non sufficeret, etiam si in modum turris supponeretur, ut cœlum attingere posset; ita etiam, si omnes humani intellectus et ingenia in unum coirent, nequaquam tamen arcana Dei penetrare possent. Quare sicut structores Babel linguarum confusionem puniti sunt, ut se mutuo non intelligent; ita et scrutatores illi, quo plus scrutantur, eo minus inveniunt, et quandoque incident vel in stultitiam, vel in hæresim. Scrip-  
tum enim est Proverb. XXV. *Scrutator majestatis opprimetur a gloria: quomodo, scilicet, infans soli expositus fit lucus aut cæcus; quomodo pelvi ignita excæcantur oculi; quomodo lucipetæ se adurunt prope nimis luminis advolantes; quomo-  
do denique auri fossores, cum nimis profunde fo-  
diunt, ruinis opprimuntur.* Petrus Sanchez, tract. de regno Dei, l. V. c. IV. scribit regem quemdam fieri curasse alveare vitreum hoc fine, ut in eo labores apum spectaret. Sed ingressæ apes mox totum alveare cera obduxerunt, ita ut bonus rex nihil omnino videre posset. Ergo apes non pa-  
tituntur insipi suam artem; et Deus, qui, Salo-  
mone teste, III. Reg. VIII. *Dixit ut habitaret in nebula, patietur insipi arcana sua?* In vita S. Winoci abb. refert Surius, 6. novemb. quemdam ejus fratrem curiosius inspexisse molam, quæ ob sancti merita divinitus gyrabatur. Verum, ob ejus obtutum, illico stetit mola, et ipse inspector cœ-  
citate plexus est. Scimus denique quid contigerit Bethsamitis, I. Regum VI. quando quinquaginta millia occisi sunt, ob introspectam curiosius fœderis arcam. Neque mirum tam graviter puniri hanc præsumptionem, quia tales ambunt quo-  
dammodo condescendere in cœlum, et quasi Deo se æquare, imo et præferre, conantes mare illud im-  
mensum includere in vasculo cordis seu intellec-  
tus sui: quis autem nescit continens majus et capacious esse contento? Ergo *mi cha El: quis ut Deus?*

Secundo, qui multa nimis, adeoque ad se nor-  
pertinentia, scire volunt: quid in hac vel illa ci-  
vitate vel domo fiat; quid isti inter se colloquan-  
tur; quid struant vel machinantur vicini; quid con-  
sultent senatores; quid imperator; quid in  
mundo fiat. De hujusmodi curiosis dicere sole-  
mus: *Iste debet omnia scire.* Si omnia, ergo Deo simili-  
sime esse cupit: solus enim Deus omnia scit.  
Contra hos Ecclesiasticus, cap. cit. addit hoc præ-  
ceptum: *In supervacaneis rebus noli scrutari mul-  
tipliciter, et in pluribus ejus operibus non eris curio-*

*sus:* et Salomon, Prov. XXV. cit. *Qui mel multum comedit, non est ei bonum: denique, apostolus ad Roman. XII. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ut enim nimis cibi potusque ingurgitatio vires corporis et animi debilitat, morbosque accersit: et sicut mel nimium comestum nocet, corpus gravat, bilem ciet et vomitum provocat; ita curiosa rerum inutilium et nihil ad nos pertinentium inquisitio mentem dis-  
solvit, et sui oblivious facit, gravat superfluis curis, provocat ad garrulitatem, detractiones, cen-  
suras, etc. Præcepit Deus, Exod. XII. *Si minor est numerus (in aliqua domo) ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Maluit enim Deus ut vicinus vocaretur ad cenam agni, quam ut parva familia sacro illo epulo se infarciret nimium; quo disceremus non implere ni-  
mis stomachum seu appetitum nostrum in scruta-  
ndis rebus etiam sacris, quarum capaces non sumus: *Nec plus sapere quam oportet, sed ad so-  
brietatem*, ad Rom. XII.

Tertio, qui futura contingentia, etiam quæ a libero arbitrio dependent, vaticinari præsumunt; veluti quæ sors vel mors cuique obventura sit. Hi enim impudenter Deo similes esse volunt, uti expresse eis objicit Isaías, c. XLI. *Annuntiate quæ ventura sunt, inquit, in futurum, et sciemus quia dī estis vos,* quasi diceret: *Dei istud est;* requi-  
ritur enim ad hoc infinita vis cognoscendi, quæ tempora omnia ambiat et præcurrat. Unde Deus hanc cognitionem adeo reservavit, ut nec quid in crastinum, imo quid proximo instanti futurum sit, aperire nobis voluerit. Ut vero aliquæ prævi-  
deri possint, quæ necessarias habent causas, uti eclipses, non tamen ea, quæ a libertate hominum dependent; atque ut possint aliqua sidera in hu-  
mana corpora disponenda vel immutanda: eæ ta-  
men impressiones facile immutare. elidi pos-  
sunt per liberum arbitrium, disciplinam, preces,  
virtutum studium, etc. Unde card. Reginaldus Polus astrologo cuidam, altiores adhuc honores ex horoscopo sibi prædicenti, respondit, eum fal-  
li, nec rem bene perspexisse: *Eo quod secunda ejus nativitas (qua Christianus factus est) primam delevisset, Boter. de dictis memorab.* Et tamen re-  
periuntur adhuc quam plurimi Christiani, qui di-  
vinam hanc scientiam emulantur cum primis suis parentibus, quibus instillavit serpens: *Eritis si-  
cut dii, scientes bonum et malum.* Et sane qui has artes sectantur, profitentur quidem scientiam, quasi valde lucrosam; interim tamen semper egent, et abjecti sunt, proscribuntur et deridentur, non solum a Christianis, sed etiam a gentili-  
bus. Nam et Tiberius imperator Christo in ter-  
ris agente annum decimum octavum exteros qui-

dem astrologos necavit, cives vero extores fecit, teste Dione, I. LVII. Et Ecclesia præcipit episcopis, ut tales e communione fidelium ejicient, velut diaboli mancipia, causa XXVI. qu. V. cap. Non liceat.

I. Qui judicare audent proximos, præsertim de internis actionibus et intentionibus. Cum enim solus Deus sit cardiognostes, seu cordium scrutator (testante ipso Jerem. XVII). *Pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et renes probans;* qui alios de occultis cogitationibus judicant, plane se Deo æquare conantur, et videntur dicere cum Lucifero: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Nubes quasi velata sunt hominum corda, eorumque cogitationes et intentiones, quas naturaliter nec angeli possunt cognoscere, nisi voce aut signo prodantur. Cum vero actiones hominum, quæ ex natura sua malæ non sunt, pendant ex intentione agentium, consequens est, ut qui de illis pravum fert judicium, nubes transcendere et Dei similitudinem sibi attribuere velit. Unde S. Augustinus, sent. XXI. ait: *De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est: et eum, cuius non videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum, quæ hominis sunt incognita, solus Deus judex sit.* Diogenes fertur aliquem, qui mira quadam de cœlis et sideribus asseverabat, sic interrogasse: *Quam nuper tu de cœlo venisti?* Pari modo interrogari posset, qui de cordis intentionibus proximum dijudicat. Quam nuper tu prodisti de illius pectore? Et hinc fortassis est, quod legamus saepius a dæmonie correptos atque obsecros, qui aliorum animas temere judicarunt, ut haberent in se malum genium corporis sui hospitem, qui eum sine causa in alius quesiuerunt: et qui Dei similitudinem affectabant, dæmonis acciperent. Ita sane is, qui Sanctum Vitalium, meretricum expugnatorem, pro forniciario habuit et alapa cecidit, a dæmons vicissim et alapam accepit et obsecrus est tamdiu, donec in Vitalii cella, ipso jam defuncto, supplex ei fieret, ubi et in pavimento cœlitus scriptum invenit: *Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare, quoadusque Dominus veniat, in vita S. Joannis eleemosynarii, cap. XXXV.* Taceo Totilam Gothorum regem, qui cum S. Cassium Narnien. episcopum e rubicunda facie vinolentum judicasset, mox ejus spatharium dæmon invasit ac vexavit loco heri sui, apud S. Gregor. III. dial. cap. VI. Ac licet nosset aliquis mentem alterius pravam in suis actionibus, neendum tamen liceret ei ipsum judicare; ait enim apostolus ad Roman. XIV. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Et Jacobus IV. *Unus est legislator et judex,*

qui potest perdere et liberare. *Tu autem quis es, qui judicas proximum?* quasi diceret: Quam temerarius! Cum nec legislator nec judex sis, nec perdere aut salvare, sed potius ipse judicandus, perdi et salvari quas; quare Dei jus usurpas? Hinc in vitis pp. legitimus eremicolam, qui ex falsis indicis fratrem judicarat, hanc ex alto audisse se vocem: *Homines mihi rebelles facti, in meam jurisdictionem perdite involvatur.*

III. Superbi et libertini, qui nullo modo jugo se subjecere, sed exages et liberi ab omni subjectione esse volunt, quales non paucos reperies hoc tempore, inter nobiles præsertim, juxta Salust. in Jugurtha. *Superbia commune nobilitatis malum.* Invadunt hi privilegium Dei, qui solus superiorem nec habet, nec habere potest, cum sit ipse supremus omnium legislator: *Ego Dominus, et non est alter,* inquit Isa. XLV. Dicunt hi illud Luciferi: *Super astra Dei exaltabo solium meum, q. d. astra transcendam et imperabo ipsis.* Non tulit hoc in Lucifero Deus, nec in aliis ferre potest; quia: *Deus superbis resistit,* I. Petr. V. tamquam suæ contumeliz propulsator, aut S. Ambrosius, in Psal. CXVIII. *Quoddam veluti suspectus adversus superbiam speciale bellum, tamquam dicat: Meus est iste adversarius: mihi debetur ista congressio.* Talis erat in primis superba illa Babylon, velut mundi domina et regina, quæ ait Isa. XLVII. *Ego sum, et præter me non est altera;* quia omnibus regibus imperare, et nulli servire voluit: talis ejus rex Nabuchodonosor, qui in statua aurea a se erecta, adorari, Dan. III. tales insaní illi et fastu pleni imperatores; Diocletianus, qui se fratreñ solis et lunæ haberi; Heliogabalus, qui, nomine a sole desumpto, quasi alter sol videri et coli; Caligula, qui lunæ maritus reputari, et prodeo haberi; Cosroes Persarum rex, qui in currauro triumphali, tonitrua, fulmina, pluvias emittente velut alter deus trahi voluit. Denique omnes filii Belial, hoc est, absque jugo, qui solo vivunt arbitratu suo, et dicunt cum Pharaone: *Nescio Dominum,* Exod. V. et cum exlegibus illis: *Non serviam, Jerem. II. Quid hi aliud agunt, nisi quod seipso et proprium suum caput ac judicium fingunt et constituant sibi in Deum, seu potius idolum?* Ita enim Samuel, I. Reg. XV. ait ad Saulem: *Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. Qua ratione?* « Quia (inquit S. Gregor. in eum locum) inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum non gestaret. Et dum conceptus mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. At quemadmodum mundus non fert duos soles, ut dixit Alexander M. Dario regi: ita nec Deus alium sibi similem. »

Area Dei noluit juxta se ferre idolum Dagon (quem aliqui Jovem putant fuisse); sed prostravit semel et iterum, ita ut Dagon velut victus terram osculari coactus fuerit, dum area in sublimi velut victrix staret, I. Reg. V. ita et filii Belial, qui idolum libertatis in corde suo erigunt, stare coram area (in qua lex Dei continetur) seu coram Deo nequeunt, sed turpiter tandem corruunt. Unde apostolus, II. Cor. VI. ait: *Quæ conventione Christi ad Belial?* Ejus scilicet, qui ad mortem usque Patri fuit obediens, cum homine exlege et absque jugo? Perdet hic, ut Dagon, caput suum, in quo idolum judicij proprii constituit, et duas palmas manuum, quibus vincula legum rupit et jugum confregit, cum ad inferos prostratus fuerit; quamquam hi filii Belial, etiam in hoc sæculo sepe prostrantur ac decipit antur super suo supereratio. Sensit in primis id Saul rex, ad quem verba illa Samuel locutus fuit, mox adjiciens hoc fulmen: *Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex:* abiecit, inquit, velut sputum ex ore, aut mucum e naribus, cadaver et carcinoma et domo et manibus. Sensit superba illa Babylon, quæ non semel, sed quinque prostrata et solo exequata, adeoque ferrarum tantum habitaculum facta fuit, apud Cornel. in c. L. Jerem. sensit Nabuchodonosor; quando e regno ejectus et ad bestias in silvas damnatus est, similis eis effectus, Dan. IV. sensit Diocletianus, nam qui prius, ut dixi, animo superbissimo intumuerat, demum corpore etiam inflatus est, eoque disrupto, emarcuit et lingua vermibus scatente ac fœtente, canis instar latrans, expiravit, teste Nicephoro, I. VII. c. XX. Sigonio, anno 297. sensit Heliogabalus, qui licet morti sponte sibi inferendæ parasset funes sericos, gladios aureos, venena in gemmis, quibus se occideret, si vis urgeret, alissimam turrim, substratis aureis gemmatisque tabulis, in quas se præcipitaret (dicebat enim mortem suam præiosam esse debere, ut diceretur nemo sic perire), nihil tamen ista valuerunt; nam præventus ab insidiatoribus, cum non haberet quo fugeret, in latrinam se demersit, tractus postea sordidissime per plateas, Lamprid. Herodian. Sab. sensit Caligula, qui pridie quam periret, somnianvit se in cœlo juxta Jovis solium stantem (plane sicut Dagon juxta aream) pedis ejus dextri police impulsu, et in terram exturbatum fuisse; postridie triginta vulneribus suis occisus est, Sueton. sensit rex Cosroes, qui ab Heraclio victus, post fugam a proprio filio trucidatus est, Baron. anno 614. sensit impius et inflatus Julianus, qui, turbata Christi imagine e domo hemorrhiose, quam in Christi Domini locum reposuerat, quan-

do ea fulmine dejecta est, Sozom. I. V. c. XX. sensit Herodes Agrippa, quando populum sibi acclamat, *Dei voices et non hominis non compescit, sed assentiendo, Dei honorem sibi tribuit;* ideoque confessim ab angelo percussus est, Act. XII. et a veribus consumptus. Sic nimurum novit Deus humiliare et prosternere filios Belial, iugi omnis ipsiusque Dei contemptores.

IV. Alii sine numero, qui peccato mortali Deum impugnare, et quasi e sede sua exturbare conantur. Videntur hi dicere cum Lucifero: *Se debo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, q. d. in Dei throno, vel in æquali, ut in templo Salomonis, quod erat in monte ad aquilonem urbis.* Sed dicitis: Quomodo per peccatum mortiferum, vult homo sedere in Dei throno? Respondeo: Dum quis ut sua vel alieni voluntati serviat, divinam legem contemnit et violat, is sua aut aliena voluntati potius obsequitur quam divinæ; itaque interpretativa suam voluntatem deum sibi constituit, ipsique Deo præfert et opponit. Sic enim ad Heli per virum Dei ait Dominus: *Magis honorasti filios tuos quam me,* I. Reg. II. Ne enim corrigenþ delinquentes, contristaret filios, maluit, quantum in ipso erat, contristare Deum legislatorem, cuius templum permisit violari filiorum sacrilegio. Hoc vero quid est aliud, quam exturbare velle Deum e throno suo, et alium vel seipsum in eo collocare? Hic est veterum Patrum sensus, et frequens dicendi modus. Unus in praesentia sufficiat Hieronymus in id Psal. LXXX. *Non erit in te deus revens.* Cui deus, inquit, venter est, deus ei revens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, recentes tot habemus deos: iratus sum, ira mihi deus est: vidi mulierem et concupivi, libido mihi deus est, unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi deus est. Sic ille. Eodem modo si quispiam præcepta Dei contemnit, ut hominis obsequatur imperio, aut ut hominem opibus vel honoribus augeat atque nobilitet; ille hominem magis respicit et honorat quam Deum. Certe etiam apud politicos, qui regis edicto se opponit, hoc ipso regni insidiator habetur. Hinc rex Nabuchodonosor, cum regiones, quas suo subjugare volebat imperio, mandato ejus contradixissent, et legatos sine honore vacuos remisisserunt atque abjecissent: *Indignatus juravit per thronum et regnum suum, quod defendet se de omnibus his.* Quare defendet? Contra quem invasorem? Quia hoc ipso, quod regiones illas mandato ejus contradicebant, potentia ejus insultare, adeoque aggressores esse ab ipso censebantur, et regni insidiatores, Judith. c. I. Quisquis igitur suam voluntatem divinæ anteponit, videtur Deum verum e throno suo velle deponere, et idolum ali-

quod in eo collocare, sive ea sit Venus impudicitiae, sive Mars inimicitiae, sive mamma non iniquitatis, sive Bacchus ebrietatis, sive quis alius. Quae sane gravissima Dei non solum injuria, sed etiam deriso est: qualem SS. Trinitati irrogavit impiissimus Cosrhoes, quando in fano suo residenz, haberi pro Deo Patre voluit, crucem Christi bello captam juxta se loco Filii, gallum loco Spiritus sancti posuit, apud Baron. anno 611. Quis autem talem irrisionem ac contemptum non omnibus suppliciis dignum pronuntiet?

Quid enim solent facere reges, quando quis illorum coronae aut etiam conjugi insidiatur? Nonne omni tormentorum genere eum excarnificari jubent? Sane Henricus VI. imp. insidiis quorundam in Sicilia appetitus, cum eorum conatus antevertisset, omnes miserabiliter cruciatos interfecit. Alium ferventi aqua excoctum in canistro pro missu ad suos remisit, aliud in ingentem rugum conjectit, aliud culeo insutum in profundum maris abjecit. Factionis principem, Jordanum nobilem Siculum (quod Constantia imp. amasius haberetur, munera ab ea accepisse et vicissim misisse diceretur, ut delecto imperatore, ipse succederet) in sede ferrea carenti collocari, coronam deinde æneam ignitam ipsi imponi, et quatuor clavis affigi, ac tum demum hominem abire jussit his verbis: *Habes, homo, coronam, quam venatus es; nemo tibi invidet, fruere usque adeo desiderata re.* Is vero correptus vertigine, concidit, et paulo post in miserabili illo diadema expiravit, Nicetas, l. II. de rebus Alexii Angeli; Cranz. in Saxonia, l. VII. c. IX. Ergo insidiatores regni fluxi et terreni, plurimisque miseriis referti ita cruciantur et plectuntur; quid merebuntur illi, qui regi sæculorum immortali coronam eripere quoquo modo conantur? Quis jam miretur peccatores in gehenna æternis ignibus ura, et omni genere ludibriorum subsannari, cum corona Dei insidias moliti sint! Sapienter igitur monuit Pythagoras, ethnicorum sapiens: *Coronam ne carpi-*to. Coronam regum intelligit; sed infinites magis cave, quisquis es, o homo, ne carpas coronam Dei, ne præcepta ejus violes. Quis ut Deus? ait S. Michael.

## CONCIO II.

CUR ANGELI JUVENILI FERE SPECIE TANTUM APPAREANT.

- I. Quia eorum dotes juvenum dotibus conformes. — II. Quia vident juvenes maxime egere sua assistentia. — III. Quia sciunt juventutem Deo maxime curare esse. — IV. Ut ostendant nobis, quales in resurrectione futuri simus.

## THEMA.

*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.*  
Matth. XVIII.

Videmus passim, ss. angelos non alia pinguis specie, nisi juvenili, speciosos, florentes atque imberbes. Ac ne hoc quis tribuat licentiae pictorum, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, intercedit S. Dionysius Areopag. qui cap. XV. de cœl. hierarchia docet bonos angelos ut plurimum juvenili forma apparere. Sic apparuit Raphael angelus, ductor Tobiae, Tob. V. *Invenit juvenem splendidum, etc.* sic angelus resuscitati Christi nuntius piis mulieribus, Marci XVI. *Viderunt juvenem sedentem, coopertum stola candida.* Denique, si in aliis quibusdam apparitionibus appellantur viri, intelligendum, quod virili sexu, juvenes tamen, non barbati apparuerint, ut docet Lorinus in psal. et alii. Habent ergo juvenes quod sibi gratulentur de angelorum quadam similitudine, sed et alii omnes, quo sibi gaudent. Causas porro videamus, cur tali specie apparent.

I. Tali forma apparent, quia ipsorum dotes cum juventutis, quam aliarum ætatum dotibus, magis sunt conformes. Etenim primo, pura a gravioris labe peccati fere est juvenus: (tametsi enim infantes magis sint innocentes, eorum tamen innocentia virtus non est, sed natura; quia cum rationis uso et libero arbitrio non conjuncta). Ita etiam angeli una cum summo intellectu summa sunt puritate prædicti. Ut enim fœda et impura omnium fugiunt apiculae, sic angeli abhorrent a turpi hominum vita. Secundo, juvenes præ ceteris ætatis perspicaciori sunt ingenio, et ad disciplinas perdiscendas aptiori, propter calorem sanguinis. Hinc dicimus Germani, non addisci a Joanne, quod non discitur a Joannello. Similiter et angeli mentem habent perspicacissimam, et celestis sapientia non capacissimam tantum, sed etiam cupidissimam. Tertio, adolescentes sunt amabiles, blandi, mansueti: nemo eos affari metuit, quin amamus potius. Viri, præsertim ignoti, timorem aliquem incepunt suo aspectu et affatu infirmioribus: adolescentes

## IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

minime: sed amorem, affabilitatem, amicitiam spirant. Tales sunt angeli boni, gratos, amabiles, ad exhilarandum et solandum facti, pacem denique spirantes. Quarto, juvenes sunt vivaces, vegeti, celeres, excitati ad labores: unde juvenes a juvando dicti, quia laboribus suis adjuvant senes et parentes suos. Pari ratione et angelii vivacissimi et ad Dei mandata exequenda celerrimi sunt (ideo alati pinguntur) nunquam lassescunt aut deficiunt; ac quemadmodum juvenes pro una avicula aut lepusculo capiendo plurimos labores ac fastidia suscipiunt maxima cum voluptate, sic etiam angeli sancti pro una animula quacumque immensos labores sine defatigatione subeunt.

Jam vero si angeli Dei, propter istas juvenum dotes, eorum speciem induunt, cum apparent, quasi amore juventutis quadam tenus sibi similis; quis dubitat eos magnopere desiderare, ut et ipsi juvenes angelorum speciem, quoad fieri in terris potest, in se suscipiant. Amantis enim est amatum sibi similem reddere. Hinc Jonathas Davidem cum tenerime amaret, suis induit vestibus, ut quasi alterum se aut fratrem suum efficeret, I. Reg. XVIII. Ergo primo, sicut angeli averantur peccati impuritatem, præsertim impudicitiam; ita decet juvenes velut terrestres angelos eamdem velis remisque fugere. Angelus, qui in persona Dei cum Agar loquebatur, non faciem, sed dorsum ipsi interim vertebat. Ita enim testatur Agar: *Vidi posteriora videntis me,* Gen. XVI. Bone Deus! Angelus qui carnem non habet, faciem avertit a muliere, dum cum ea loquitur Dei mandata: et juvenis carnis effrenis calensque sanguine, vultus muliebres spectare audeat? Possunt quidam angeli in assumpta carne inter homines conservari, non tamen a carne mutari aut pati quidquam: sic erimus angeli, si in carne quidem constituti, nihil tamen a carne moveamur; quasi ea non nostra, sed assumpta et aliena esset.

Secundo, quemadmodum angeli inter alia negotia, quæ inter se et circa nos in terris agunt, mentem interim in Deum semper intentam habent; ita optant ut juvenes, necnon omnes homines, semper in conspectu Dei versari se considerent, quidquid tandem agant. Mirum hoc et forsitan impossibile videbitur alicui, simul attendere ad Deum et ad res terrenas. At nonne testatur Dominus angelos custodes, etiam dum invigilant et adsunt clientibus suis, versari in conspectu Dei? Itaque velut limaces aut testudines, cœlum suum et Dei conspectum semper portant secum, dum ubique eum vident: ita ergo possumus et nos inter alia negotia, si non continuo,

## VI. PARS FESTIVALIS.

saltem crebro repetitis obtutibus mentem flectere in Deum, ubique nobis præsentem. Sic filii parentem mensæ assidentem, sic catelli herum comitantes, identidem respiciunt: sic cum Deo egit Abraham, cum eo semper ambulando; unde illa ejus vox, Gen. XXIV. *Dominus, in cuius conspectu ambulo:* sic Elias, III. Reg. XVII. *Vivit Dominus Deus, in cuius conspectu sto:* et Elisæus, IV. Reg. V. *Vivit Dominus exercitum, in cuius conspectu sto.*

Tertio, sicut inter angelos contrariis etiam functionibus occupatos summa est concordia: ita inter nos, etiam opposita studia tractantes, cupiunt unionem et concordiam conservari. Quam diversi, quam contrarii sunt inter se cœlestium orbium motus! Unus in occidente, alter in oriente; unus serius, alter citius tendit: et tamen inter se maxime convenient, gubernati ab angelis, juxta multorum sententiam. Ipsorum angelorum multi millions sunt, et species pene innumeræ: inter eos tamen perpetua et summa concordia est; unde Job XXXVIII. ait Deus: *Concentrum cœli quis dormire faciet?* hoc est, quis tollet aut intervertet cœlorum ordinem et symmetriam? Quod si igitur hos imitaremur, cœlum inter nos haberemus.

Quarto, quemadmodum angeli vivaces et existenti sunt ad peragenda Dei mandata, et tuendos clientes suos; ita cupiunt, ut nos quoque eorum imitatione ferveamus amore Dei et proximi. Raphael specie juvenis, comes Tobiae, invocatis in auxilium contra immanem pisces, non ipse arripuit pisces aut extraxit, sed Tobiam animavit ad arripiendam bestiam: *Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te,* inquit, Tob. VI. Et cur hoc? Ut clienti suo hanc palmam cederet, simulque animum adderet ad fortiora deinceps aggredienda. Sic optant sancti angeli nos ab invicem animari atque excitari ad patranda virtutum opera, fugienda vitia. Cum aliquando S. Cuthbertus epis. Lindisfarnensis, adhuc puer, luderet in campo cum aliis suis coætaneis, accurrerit parvulus trienni, cœpitque senili constantia dehortari eum a ludis et jocis. Quod cum ille spernret, luget parvulus corrueus in terram et lacrymans. Accedunt alii solantes eum, uti et ipse Cuthbertus, rogans cur ploraret. Cui parvulus: « Quid, sanctissime antistes et presbyter Cuthberto, et naturæ et gradui tuo et contraria geris? Ludere te inter parvulos non decet, quem Deus etiam majoribus natu magistrum virtutis consecravit. » Sic a ludo et lactamine cohobuit Cuthbertum, factum postea insignem ei sanctissimum episcopum, ut refert ven. Beda, tom. III. in vite ejus, c. I. *Quid hic dicemus? Homone an ange-*

Ius custos fuit iste parvulus? Si homo, utique ad hoc agendum ab angelo custode instigatus fuit; et decet certe, ut majores natu præstent suis proximis, quod egit hic triennis puer; dehortentur, cohibeant, repellant, saltem a gravioribus peccatis: si angelus; decet etiam nos ipsum imitari, et hunc amorem impendere fratri, quem ille impedit homini, se inferiori.

II. Quia vident juventutis certamina maxime egere sua assistentia et opera. Qui alteri in certamine aliove opere suppetias ferre vult, ipsius assumit habitum, ne ei suspectus fiat, v. g. qui Austriaco duci succurrere vult in prælio cum novis copiis, Austriaca insignia et vexilla sumit. Jam vero nulla ætas tam periculosa est, tamque gravia sustinet certamina ac pericula, quam juventus. Tunc enim sanguis, velut hostis intestinus, maxime seruet; foris et Satanás maxime insidiatur, et passim laqueos tendit; quia novit eam lubricam, cœcumentem et improvidam, ac sequi præeuntem, sicut aqua digitum in areola sequitur præcedentem. S. Ambr. de interp. Job c. VII. ait: *Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delictis*, S. Chrysost. hom. V. in epist. I. ad Tim. appellat eam *equum indomitum, et volunti ferum bellum*. Hinc denique juvenibus potissimum adhibentur pædagogi et præfecti, qui eos regant ac refrænent. Cum ergo in tam periculoso statu sit juventus, angeli custodes in ea defendenda plurimorum occupantur; quam si lucentur, ætatem consequentem facile conservabunt, juxta id poeta: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu*. Atque hoc spectant verba Christi, in hodierno evangelio dicentis: *Angeli eorum, quasi dicat proprii pusillorum (non utique solo corpore sed et animo; et horum multo magis) semper vident faciem Patris mei*. Sunt vero adolescentes animo pusilli, judicio parvo, voluntate labili: quibus proinde angeli velut pædagogi maxime invigilant. Cujus rei typum exhibet angelus ille similis Filio Dei (adeoque specie juvenili) qui tunc descendit ad servandos tres sanctos juvenes in fornacem, quando ea inflammatissima fuit naphtha, stappa, pice et malleolis, seu vitium sarmensis; et quando Nabuchodonosor vehementissime iis iratus erat, Dan. III. Sic enim angelis custos tunc maxime assistit et opitulatur homini, quando in calore juventutis valde exæstuat, et quando eum dæmon summa invadit iracundia. Sensit hoc auxilium D. Aquinas, adhuc juvenis. in pugna illa, quam habuit cum impudica semina, titione a se fugata: cum enim victor se prosterneret in lacrymas, castimoniæ donum a Deo petens, ingressi duo eximi splendoris angeli, cin-

gulo renes ejus strinxerunt, et fomitem libidinis prorsus extinxerunt, ut in ejus vita, 7. martii.

III. Quia norunt juventutem et ætatem hominis teneram, a cuius institutione tota reliqua vita pendet, a Deo maxime amari et queri ad obsequium ejus. Hinc primitis in v. t. agnos anniculos, vitulos, pullos columbarum, adeoque victimas ætate tenera potissimum offerri sibi voluit. Colligitur etiam ex eo, quod Joannem Christus velut juniores et innocentiores, et qui ei a pueritia servire cœperat, præ cœteris discipulis præcipue dilexerit. Quando igitur hæc ætas tam Deo cordi est, quid mirum si et angeli eam affectent et quasi emulentur, assumpta ejusdem similitudine, ut eam Deo lucentur? Sic enim ipse Christus Dominus, ut duos ex hujus peregrinantes in Emmaus ad fidem perduceret, peregrini formæ se eis adjunxit: Raphael speciem viatoris assumpsit, ut Tobiam iter facturum comitari et servare posset. Roben Jacobi primogenitus, considerans fratrem suum Josephum plusquam cœteros a patre diligi, conatus est eum eripere e manibus fratrum, necem illi machinantium, et servare in cisterna sicca, donec patri incolumen restitueret, Genes. XXXVIII. Quid non facient angeli custodes, ut juvenes custodian, quos tanto esse in pretio apud Deum vident? De Persarum rege Xerxe scribit Herodotus, I. VII. quod cum in Lydia reperisset platanum arborem pulcherrima et amplissima specie, eam variis donis appensis adornarit, addito custode uno ex suis, qui immortales vocabantur. Quantum putamus, amavit hominem Deus, qui ei custodem attribuit ex immortalibus suis angelis! Hunc amorem expendentes angeli, maximo amore nos custodiunt, juvenes præsertim, a Deo sic ornatos atque amatos. Hinc sanctæ litteræ sæpius commemorant juvenes piis et innocentes angeli præsidio servatos, ut Isaacum juvenem a gladio parentis, Gen. XXII. filium Tobiæ a devoratione piscis et dæmonio: Danielum in lacu a leonibus: tres juvenes in fornace Babylonica. Nec dubito quin pro iis ferventiores etiam preces interponant apud Deum, quod videatur ostendi posse ex parabola fculneæ, quam, quia tertio anno fructum non attulerat, exciscindi herus jussit, Luc. XIII. Cur enim exciscindi jubetur ficus tam juvenula, non maturior triennio? Quia ea est natura ficus (ut ibi Corn. a Lap.) ut si tertio non ferat fructum, nunquam proferre soleat. Quod ergo tertius annus est ficui, hoc est, juventus homini. Primus annus est infantia, secundus pueritia, tertius adolescentia. Si in juventute non incipias amplecti virtutem, non amplectaris in senectute. Quid igitur cultor ficus illius ad heri præceptum? Domine, inquit, dimittellam

et hoc anno, aum fodiam circa illam, et mittam stercora. Quis ille cultor vineæ? Angelus custos, ait quidam recens doctor (p. Bened. Fernandius, in c. XXXII. Gen. sect. X.) qui pro illo, quem custodit, homine intercedit, qui vitam peccatori ad paenitentiam petit et impetrat producendam, qui opem suam et industriam in excolenda feulnea sedulo collocandam pollicetur. Fodit ille circa nos, quando variis inspirationibus, consiliis, impulsibus, impedimentis remotis, appositis auxiliis ad bonum promovet: mittit stercora, cum timorem aut pudorem injicit, fœdos aliorum lapsus ostendit, etc.

IV. Ut demonstrent nobis, æmulis suis, quales post resurrectionem in cœlo futuri simus; nimur velut juvenes, angelici semper florentes, speciosi, splendidi, agiles, vegeti, hilares, liberi, immortales. Quod indicavit Christus, cum dixit beatos fore sicut angelos Dei, Matth. XXII.

Primo, ergo quis nescit juvenes vitam degere liberam ab omni sollicitudine? Sic erimus in cœlo: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, Apocal. XXI.

Secundo, quis nescit juvenes delectari rebus jucundis, vestibus multicoloribus, aviculis variegatis, ludis, recreationibus, ambulationibus? Omnibus hujusmodi deliciis, imo longe sublimioribus, perfundemur in cœlo: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psal. XXXV.

Tertio, quis nescit juventutem esse ætatem temperatissimam, sanissimam, robustissimam? Tales erimus in cœlo, semper sani, vegeti, virentes. Audite quantum recrearit aspectus unius angelii piam quamdam feminam. «Erat vidua quædam venerabilis, quæ importunis precibus petebat a S. Lydwina virgine Schiedamensi, ut sibi angelum ejus videndi copiam a Domino impetraret. Annuit virgo sacra, monuitque viduam, ut clauso ostio, secum in precibus persisteret. Et ecce adest angelus incredibilis pulchritudinis splendore coruscans; adeo ut ex ejus conspectu ineffabili gaudio perfusa vidua, prorsus in amorem pulchritudinis illius absorpta esset. Cumque angelus rogatu Lydwinae oculorum obtutum in eam desigeret; animus viduae tam vehementi amoris flamma exarsit, ut cibi potusque penitus oblita, a lacrymis præ nimio gaudio temperare non posse.» ita Lipelous, in vita Lydw. 14. april.

I. Honorem Dei et justitiam tuendo. — II. Superbiā calcando. — III. Scandala amovendo et impediendo. — IV. Maledicentiam cavendo. — V. Discordias tollendo et conciliando.

## THEMA.

*Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum*. Matth. XVIII.

Non constat, auditores, quis fuerit iste parvulus, quem in medium statuit Christus ad exemplum discipulorum. Fuit absque dubio innocentissimus puerulus, veluti quidam angelus. Ego, pro exemplo et imitatione vestra, statuo vobis in medium cœlestem quædam parvulum S. Michaelis. Parvulum dico, quia humillimus fuit, et sua humilitate Luciferi superbiam stravit, ideoque ad summum angelorum principatum jure evectus est. Hunc vos imitamini parvulum, si in cœlo esse magni vultis et vos imprimis Germani. Vulgo enim de Germanis, maxime rudibus et illitteratis, dici solet: Est Germanus Michael. Utinam non omnes tales Germani! Michaelis, inquam simus! Tunc enim in cœlo utique fieremus. Sed qua ratione tales evadere possumus? Audiamus.

I. Honorem Dei et justitiam tuendo, prævaricatores puniendo; quod in primis principum et gubernatorum, qualis Michael est inter angelos, officium est, Michael angelorum principem, adeoque primum etiam e seraphinis esse, satis ostendit prælium ejus cum Lucifero: et Ecclesia, quæ eum præ positum paradisi appellat. Quid autem seraphini, nisi ardentes? Arsit Michael zelo, quando honorem Dei sui contra Luciferum defendens, exclamavit: *Quis ut Deus?* simulque eum cœlo exturbavit. Unde B. Petrus Damiani, epist. VI. ad Nicolaum Pp. zelum honoris Dei angelicam falcam appellat; et qui illum habent, angelos Dei, amore ardentes se demonstrant. Sic enim in parabola, Matth. XIII. dicunt servi, id est, angeli: *Vis imus et colligimus ea?* zizania vellet. Quales imprimis esse decet rectores, exemplo Davidis, qui Psal. C. ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniuriam*, hoc est, tempestive et summa vigilancia studi expurgare civitatem, in qua Deus colitur, ab impiis. De eodem celebratur S. Engelbertus archiepiscopus Colon. qui nomine Friderici imp. adhuc impubis, imperium gubernans, tanta justitia et sapientia rem egit, ut vias omnes ecuras redde

## CONCIO III. AUCTARII.

reta prædonibus ac militibus, et mercatori salvum conductum petenti, aliud nil præter chirothecam suam dederit, pro signo ostendendam, si qui eum invaderent, dicens se damnum omne de suo resarturum, si quid in via a prædonibus patetur. Refert Cæsarius, in ejus vita, apud Sur. 7. nov. Recte angelico vocabulo dictus Engelbertus, quia angelico zelo plenus. Sic purgavit et Michael celum a prædonibus angelis, sic pacavit imperium Otho III. imp. tribus proceribus, bonorum alienorum direptoribus, erundo oculos, teste B. Petro Damiano, epist. I. VII. epist. XI. uti dixi alibi.

II. Superbiā calcando; et quidem tanto magis, quanto quis major est, iuxta id Ecclesiastici III. *Quanto magnus est, humiliā te in omnibus.* Sic enim et Michael, cum esset princeps inter angelos, humilitate preceluit, eaque fastum Luciferi calcavit; quem idcirco pedibus premere pingitur. Ratio est, quia qui magnis donis præditus est, multorum invidiæ obnoxius est; debet igitur se modeste gerere, ut invidiam declinet. Primo, cogitet quis olim fuerit. Indorum gens quedam in regno Moger more receptum habet, ut si quando e tonstrina aliquis in sublimem honorem erigitur, præferat semper instrumenta sua artis. Quod etiam probare visus est Deus, cum Moysi in duem populi electo illam ipsam virgam, quia sacer sui oves prius rexerat, pro sceptro utendam dedit. Æthiopum christianorum antistites non crucem modo, sed et vas aureum terra refertum sibi præferri curabant, ut ei inspecta, vilitatis et mortalitatis sua meminissent, Sabell. I. VIII. Enn. X. Amicus episcopus Aquilæ et cardinalis a Paulo II. creatus, patris imitatione opilio fuit qui, ut in tanta gloria sua humilitatis memor esset, fastumque calcaret, agnum cum libro insignibus sui gerere voluit, Hieron. Carimburtus, lib. II. de vitis pontificum.

Secundo: « Cum augmentur dona, rationes etiam crescent donorum. Tanto ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, » inquit S. Gregorius, hom. IX. in evangel. Nemo insolecit facile quod multa sibi credita sint, quia multa reddere debet.

Tertio: « Ut in navigiis, qui vacuam habent navim, non metunt piratarum insultum, sed qui onustan habent; sic et diabolus non adeo persequitur peccatorem, sed justum, cui multa sunt opes. Quanto major ergo es, tanto magis submitte te ipsum, » ait S. Chrysostomus, hom. IV. in id Isaiae: *Vidi Dominum.*

Diogenes videns Platonis aulæa et peristroma pedibus ea calcavit. Causam rogatus. Fastum

*Platonis calco*, inquit. Sic calcet mundi fastum pius Germanus, uti S. Michael calcavit fastum Luciferi.

III. Scandala amovendo et impediendo. Ad hoc præcipit nobis S. Michael, quando resistit diabolo, prodere volenti corpus Moysis, ut pro nomine coleretur ab Hebreis, uti docent communiter interpretes in epistolam Judæ. Hanc enim ob causam videtur Deus voluisse, ut locus sepulcri ejus esset incognitus, Deut. XXXIV. Idem archangelus putatur fuisse, qui obstitit Balaamo, pergenti ad ponendos laqueos Hebreis, filias scilicet Moabitidas; quando stricto gladio ei minatus fuit, Num. XXII. Erat enim Michael præpositus synagogæ, sicut nunc est Ecclesia. Hunc in modum qui bonus Germanus esse vult, scandala non modo non det, sed nec dari ab aliis permittat. Sic egit imprimis Moyses, vitulum aureum, Hebreorum scandalum, confringendo et in cineres redigendo Exod. XXXII. Ezechias: *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Isræl adolebant ei incensum, ut dicitur IV. Reg. XVIII.* Sensim enim populus pronumine eum amplexus erat. Atque ut nihil omnino divinum in eo fuisse doceret, nomen ei mutavit, et appellavit eum *nohestan*, id est, *æs*: seu ut est in Hebræo, *nechustan*, id est, *ærulum*, ut eodem capite. Addit Eusebius, apud Anatas. Nicenum, sustulisse Ezechiam libros Salomonis de curatione morborum propterea quod inde sumerent morborum medelas, et nihili facerent a Deo petere curationes. Constantinus M. episcoporum quorundam libellos contentiosos (uti notum) combussit, ne perfecti scandalum forent. Carolus M. cum in aula sua quotidie pasceret duodecim pauperes, ad honorem duodecim apostolorum, ubi intellexit Aigolandum Saracenorum principem ad se invitatum, in ipsis scandalizatum, quominus religionem christianam amplectetur, eo quod ipsos humi sedentes et sordide vestitos cerneret; mox sagedit huic quali scandalo occurtere, eosque melius vestivit, ac honestiore loco discumbere voluit, Sabell. I. VIII. Enn. VIII.

Idem faciunt nunc angeli custodes: facientque ultimis temporibus, cum: *De regno Dei colligent omnia scandala*, Matth. XIII. Quis non ambiat imitari angelicum hoc munus?

IV. Maledicentiam cavendo. Cavit certe S. Michael, etiam contra dæmonem in prædicto casu, quando is revelare voluit corpus Moysis. Audite S. Judam de hoc loquentem: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemizæ* (hoc est, maledicere, dicendo, verbi gra-

## IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

tia: Vale, maledic Satan: abi, iniquissime, in tartarum); sed dixit: *Imperet tibi Dominus.* Distinxit S. Michael inter naturam dæmonis et malitiam ejus. Natura ex se bona est, quia Dei creatura: ad hanc ergo respexit, unde ei maledicere noluit. Alcon sagittarius videns filium a serpente involutum, arcu arrepto, serpentem interfecit, puero illaso, teste Victore, l. XVI. c. VIII. Item faciant et Germani; abstineant imprecationibus et maledictis; distinguant inter homines et vilia: haec, non illos persecuantur: noverint hominem imaginem Dei formatum; unde qui ipsi maledicit, Deo maledicit.

V. Discordias tollendo et discordes conciliando. Preivit ad hoc S. Michael. Cum enim angelus Persarum et alter angelus Hebreorum præses, Gabriel, amice inter se disceptarent duodecim diebus, quamdiu voluntas Dei nondum eis perspecta fuit, pro Hebreis in captivitate Babylonica detentis, et hic quidem reduci eos vellet, alter vero remanere cuperet, venit Michael, et dirimit controversiam, Dei voluntatem eis expōns, ut reducerentur Hebrei, sicut habetur, Dan. X. Dæmonum est pacem turbare et animos dispergere; angelorum est pacem facere, et animos congregare. Unde: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matth. V. Talis inter alios fuit celebri exemplo S. Theodosius conobis; qui cum dissidium duorum fratrum verbis conciliare non posset, supplex ad eorum pedes se abjecit, et tamdiu in terra coram eis jacuit, donec ad pacem redirent, in vita, apud Sur. 11. jan. Sed Germanos videamus. Tigurini duo fortunas suas litigando attriverant. Alter eorum cordatior suam et adversarii dementiam sero tandem perspiciens, armatus cum filio ad ædes adversarii descendit. Is ad vim repellendam cum servo accurrens, causam adventus rogat. Tum ille: Et religione sacrosanta et privatis incommodis adductus, contentionem tanto jam tempore magno utriusque nostrum cum discrimine alitam et conservatam, depositurus adsum. Filium habeo animo probum, manu strenuum: ei filiam tuam bene moratam virginem in connubium deposco; ut his velut obosidibus benevolentia mutua sanciantur. Inexpectata adversarii mansuetudine obstupescens alter, amicis convocatis, filiam suam adversarii filio despondit, sicutque in amicitiam transiit inimicitia, Joan. Paulus, in jocoseriis. Hæc et similis ratio optima et germana foret consiliandi inimicos. Quid? In novo orbe deprehensæ sunt insulæ, inter quas si bellum incidat, honestissimus est et habetur, qui pacem ab hoste roget; alter scelestus et in commune hostis, qui rogalam negat: indignissime etiam

ferunt, si hostes in postulanda pace eos antevertent, ut refert Ludovicus Vives, in epist. ad Joan. episcopum Lincolniensem. Si hoc gentes a fide alieni, quid agant Christiani?

Ergo, auditores: *Si conversi fueritis et efficimini sicut Michael*, vere Germani eritis, et majores in regno celorum.

## CONCIO IV.

## ASTROLOGIA JUDICIARIA REPROBATORUM.

I. Est temeraria. — II. Est stulta. — III. Est impia. — IV. Est exitiosa. — V. Est odiosa et fraudulenta.

## THEMA.

*Michael et angeli ejus prælabuntur cum dracone.*  
Apoc. XII.

Sanctus Joannes, Apoc. XII. recenset executionem perquam funestam Michaelis contra draconem, serpentem antiquum. Causam delicti explicat Isaias, c. XIV. Lucifero dicens: *Dicebas, in corde tuo: In cælum ascendam; super astra Dei exaltabo solium meum; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Sceleratam hanc vocem indigne ferens Michael exclamat: *Quis ut Deus?* et hoc quasi telo ex Dei mandato dejicit Luciferum in abyssum, factaque est in cœlo pax. Videtur draco ille, seu serpens antiquus, licet jam dejectus, adhuc moliri id quod initio suæ creationis machinatus est; et quis ipse perse non potest, per suos saltē asseclas et servos, super astra velle ascendere, per astrologos judiciarios videlicet; serpens, inquam, ille antiquus, qui in paradiſo parentibus nostris instillavit appetitum scientiæ boni et mali divinæque similitudinis: *Eritis sicut dii.* Verum frustra est, nec tolerat hoc Michael. Quare draco ille debellandus et exturbandus est. Quod antequam fiat, prius ejus delictum examinandum est, tum sententia ferenda. Homines sunt isti astrologi, qui pœnitere et immutari possunt; non angeli. Quare prononamus eis delictum eorum, si forte resipiscant.

I. Luciferi conatus fuit temerarius; ut patet ex ejus voce: *Similis ero Altissimo.* Quanta enim temeritas, cum Deo velle se comparare, ejusque thronum occupare! Temerarius etiam est conatus astrologorum; quia presumunt, scire quæ Dei solius est nosse. Deus enim ex præscientia futurorum contingentium demonstrat suam deitatem, Isa. XLI. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciens quia dii estis vos.* Presumunt scire quæ nec dæmones norunt, qui tamen totum stellarum orbe perambulare et inspicere possunt. Fatetur enim ipse Porphyrius ethnicus,